A DEO
STABILITAM HARMONIAM
VITÆ ET MORTIS
IN FUNERE

Nobili Genere oriundi, Arte Medica ceterisq; Scientiis atque Doctrinis plane excellentissimi

DOMINI
D. GEORGII
HENRICI
A Y N

Philosoph. & Medicinæ Doctoris ac Thorunensium Medici suavis & prudentis

luctuoso animo

adumbrare voluit

GEORGIUS PETRUS Schultz/

Philosoph. & Medic. Doctor nec non Prof. ordniarius.

T H O R U N I I

Impressit Ioh. Nicol NOBIL. SENAT. & GYMN. Typographus.

Vix ac ne vix quidem, doctissimi Viri quam diu inter se lites inceperunt serere & opiniones adducere in controversiam, tanto fervore exacerbati sunt animi, quam ob Harmoniam præstabilitam, ut loquimur; cuius in germania divinus fuit LEIBNITZIUS auctor & doctor. Qvibus enim actus sit fatis defensor eiusdem WOLFFIUS, qui jam non terras solum sed mare, etiam fama nominis sui implevit, & ne longius recedam, in Universitate Regiomontana celeberrimus FISCHERUS, neminem nisi historiæ literariæ plane expertem fugere potest. Verum enim vero non permittit instituti præsentis ratio, ut paulo altius repetam controversiæ circumstantias & argumenta consentientium & dissentientium, multo minus Theologos lacessendi est mihi animus, qui omnium primi quidem asperrima pericula generi humano ex hac sententia imminere docuerunt; nunquam tamen hactenus inficias ire conati sunt quod felicitas æterna ab usu & abusu sive connexione mediorum salutis dependeat & fieri non possit, ut peccator in Spiritum S. apud Deum agat ævum salutariter. Veneror Iure consultos, qui facinorosos ob crimina puniunt, probos autem cives præmiis afficiunt & protegunt. Magnifacio Physicos, qui ex hac Harmonia gratas & ingratas tempestates quatuor anni tempora gignere asserunt, & mechanismum macrocosmi & microcosmi defendunt. Cultu prosequor Ethicæ Doctores, quod mores hominum ex temperamentis oriundi felicitatem vel augeant vel diminuant evincentes; & brevibus ut dicam, laudibus illustro Canonem philosophorum: Posita causa, ponitur effectus. Necessarios igitur esse eventus & successus actionum humanarum licet affirmare & stabilimen earum omniumque rerum esse voluntatem divinam non verear docere, quippe qua nihil prius neque posterius excogitari potest; non tamen homini liberum eripio arbitrium, sed Deum potius usum sacrum eiusdem & abominabilem abusum prævidisse & ideo sententiam tulisse credo non vanus, rideoque illos, qui medicorum sugillant religionem & philosophorum. Quam longe porro hæc opinio absit a fato Stoicorum, quilibet, nisi sit malevolus, cognoscere potest, & præfiscine dico, Thesin nostram de prædestinatione LEIBNITZIO & WOLFFIO dedisse occasionem sacras res civilibus, moralibus & physicis accommodandi. Quod si vero hæc non arrideant hostibus tantorum virorum vel laborantibus arrogantiae opinione; concedent tamen illi sine dubio ut asseram, nullum medicorum ignorare posse vel negare harmoniam vitæ & mortis, nec non morborum & sanitatis, nisi prorsus nesciat, quid sit medicina, & Hippocratis, Lommii, Wedelii aliorumque singulares libros de signis prognosticis in publicum protrusos nunquam legerit. Licet enim semper homines fuerint cupidissimi futura sciendi certissime, & hinc Vrim & Thummim apud Ebræos, Teraphim Chaldæorum, Astrologia Magorum, Oracula Græcorum ceteraque subsidia ignorantiæ humanæ ortum traxerint; Ars nihilominus vel scientia potius medica reliquis omnibus, si excipias Vrim & Thummim, meretur ut palmas eripiat sine fuco & fallaciis consvetis. Mirantur quidam quod veteres Æsculapium, Hippocratem aliosque incomparabiles medicos retulerint in numerum Deorum & divinis affecerint honoribus; omnem vero seponerent admirationem, si perpendere vellent, quod futuros prædicere eventus posse & ad hanc notitiam se componere & alios, divinum plane sit donum. Quod quidem quemadmodum Medici accipiunt adoratum & nunquam Dei & Naturæ seu dispositionis divinæ in corpore humano & animo obliviscuntur temere, sic certum est quam quod certissimum, prudenter & circumspecte gnaros huis scientiæ viros vitam cum morte commutari non sine causis necessariis & divinitus ordinatis nequaquam fugere, illasque præscire & prædicere posse sine temeritate vel superstitione. Non est ut copiosius huius sententiæ veritatem comprobem; cum funus præsens sit instar omnium testimoniorum. Facimus hoc viro Generoso, Excellentissimo & Doctissimo Domino, Domino GEORGIO HENRICO AYN Philos. & Medic. Doctori, nec non Medico Thorunensium svavi atque prudenti. Ortus erat Annno M. DC. LXXXVIII. Die

XXII.

XXII. Octobris Sommerfeldæ, in Silesia quæ sita est urbs, ex pervetusta & in germania illustri familia Nobiliu n AYNER, quorum gentilitiis armis noster Doctor est quoque usus, iisdem signis, quæ in libro, cui præfixus est titulus: **Das erneuerte deutsche Wappen-Buch** fol. 125. omnium sunt exposita oculis & æri incisa. Nec eo secius Beatus una cum parentibus originis paternæ in eandem cum Cicerone ivit sententiam, quam declaravit in epistola ad Appium pulchrum Imp. scribens: *Quæso etiamne tu ullam Appietatem aut Lentulitatem valere apud me plus, quam ornamenta virtutis existimas?* Pater fuit Vir Nobilissimus Spectatissimusque GEORGIUS HENRICUS AYN, Consul, (vel ut hic loquimur Præ-Consul) & Medicamentarius Sommersfeldensis: Mater, omnibus sui sexus & virtutum ornamentis prædita fæmina, ANNA RUTTICHIA. Avum nactus erat GEORGIUM AYN, Niebuschiorum prædiorum Præfectum, & Aviam CATHARINAM, ERASMII SCHINCKII, Senatoris [vel Consulis) Magdeburgensis optime meriti filiam. Avum, maternæ prosapiæ, salutarat FRANCISCUM RUTTICHIUM, Civem & Negotiatorem Spectatissimum Providentissimumque Meserizensem; Aviam eiusdem ortus ANNAM filiam Generosi Domini ELIÆ DER MACHOVII, Illustris familiæ Makowskii in Polonia maiori participis, qui vero cum in Universitatibus Saxonicis se Lutheranæ religioni consecrasset & a consangvineis catholicis neglectus esset, Mesericum se contulerat factus Consul [sive Præ-Consul] huius loci & se nominans: DER MACHOVII. Proavo nomen fuit PETRI AYN, Præfecto prædiorum Halboischianorum & Kuhnauschianorum: Proaviæ, ANNÆ. Abavo usus est maternæ liniæ DAVIDE RUTTICH, Cive & Mercatore Gubenensis civitatis gravissimo: & Abavia DOROTHEA, **David Redlich**/ civis Gubenensis filia. Tritavus denique fuit LAVRENTIVS RVTTICH civis & mercatura insignis vir Gubenæ, & Tritavia GERTRVDA, nata Hoffmanniana; Ceteros ut taceamus generis conditores, propagatores & conservatores. Optimi igitur & prudentissimi parentes, cum animadverterent in filio hoc dilectissimo ingenium docile cupidumque discendi animum & Sommersfeldæ & Seravii in scholis publicis erudiri & nominatim GEORGIO ROESLERO Rectori Soraviensi doctissimo tradi curarunt. Conferens se inde Goerlicium M. SAMUELEM GROSSERUM Rectorem Gymnasii & Sodalem societatis scientiarum regiæ berolinensis ex doctrina nobilem & clarum audivit assidue, quatuorque annos vitæ consecravit huic magno præceptori, & quam bene de se fuerit meritus nullo oblivioni tradidit tempore, quin potius, ut gratum se præstaret, postea Lipsiæ filium Grosserum, paternæ gloriæ æmulum, privitassime & gratis omnes philosophiæ & medicinæ partes docuit. Anno M. DCC. adiit Lipsiae florentem Academiam & formatores præceptoresque scientiæ medicæ & philosophicæ selegit Doctores & Professores CHRISTIANUM LUDOVICUM WELSCHIUM SCHAMBERGERUM & RIVINUM, Medicos immortalis memoriæ, nec non IMMANUELEM PROELÆUM, Stolp Pomer. Philosophiæ Magistrum eruditione clarum. Delectatus hinc elegantiis Lipsiensibus omnis generis & exornatus multifariis studiis ac An. M DCC II Magister creatus, non solum præses *de mirabilis corporis non durabilis duratione* disputavit cum respondente Io. Casp. Trœger, Freiberg. Misn. cum antea ipse functus officio respondendi impugnantibus disputationem præsidis sui & præceptoris M. Immanuelis Prœlæi de De eo, quod hominem ex parte felicem atque beatum facit, An. M DCC I. se etiam alios erudire & expolire doctrinis cœpit. Anno M DCC III. cum Halam venisset, ut Universitatis Professores præcique medicinæ coleret, accidit, ut audiverit, MICHAELEM BOGUSLAUM RUTTICHIUM Vilnæ in Lithvania natum, in præsenti curam hic cœtus divini, sermone polonico qui utitur, agentem, & de Gymnasio & Ecclesia præclare meritum & merentem, studere ibidem Theologiæ & Philosophiæ. Ardens igitur cupiditate sciendi cohæreatne sibi proximo nexu sangvinis, illum convenit & summam voluptatem cepit ex eo, quod cognoverit se in coniectura non vanum fuisse. Quamobrem est factum, ut dextra fidem firmissimae amicitiæ sanxiverint, & Beatus ceperit consilia Anno

MDCCIV.

MDCCIV. Halam migrandi & Hippocratem noſtri ævi STAHLIVM audiendi. Hinc experientior factus Viennam abiit quatuorque commoratus annos in hac ſede auguſta LIB. BARONEM GEORGIVM FRIDERICVM de WIRTH ſtudiis inſtruxit & Lipſiam comitatus eſt. Anno demum MDCCXVII auſpicialem & ſolennem diſputationem: *De raris morbis* ſub præſidio Illuſtris STAHLII defendit, ab eodem Doctor Medicinæ renuntiatus hoc ipſo anno. Quibus pro meritis ornatus honoribus Lipſiam rediit, docendo & praxin exercendo medicam ſibi magnam peperit famam & tandem An. MDCCXXIV. poſt obitum Excellentiſſimi Domini VOGETII Med. D. Thorunenſes & Nobilitatem Pruſſicam ſcire voluit, quam prudenter, circumſpecte & docte reſtituere poſſet morbis oppreſſos. Movebatur ad hanc tentandam mutationem conſiliis Viri Ampliſſimi Excellentiſſimi Doctiſſimi & Experientiſſimi Domini SIMONIS WEISSII, Conſulis noſtræ civitatis p. t. judicis graviſſimi, Philoſ. & Med. Doctoris nec non Medici Ordin. celeberrimi, cui Beati excellentes animi dotes probe erant perſpectæ & adprobatæ; quibus accedebant rogationes & ſvaſiones conſangvineorum Thorunenſium, nominatim fratrum Ruttichiorum plurimnm Reverendi Mich. Boguslai & ſpectatiſſimi Franciſci, Scabinatus novæ civitatis Adſeſſoris. Quantam hic excitarit ſui admirationem eruditione multifaria, quantumque conciliarint ipſi amorem & cultum fundamenta firma medicinæ iacta, humanitas politior, ſvavitates morum, græcæ, italicæ & gallicæ lingvarum noti.ia exculta, poëſeos utriusque delitiæ nec non Muſicæ, verbis vix exprimere poſſum, neque decet forte me lugentem amicum. Quamobrem aliis quoque relinquo, ut pluribus pietatem Beati haud infucatam & venerationem, qua noſtram proſequebatur religionem, nec non liberalitatem erga egenos ſtudioſos, quos ſine minervali Lipſiæ & docuit & ſuſtentavit, aliaq; teſtimonia fidei fructiferæ laudibus extollant. Sufficit palam fateri quod ego cum omnibus probis doleam vehementer præmaturam eius mortem & citra veritatis iacturam prædixiſſe febri petechiali correptum, quo die ſit ſatisfacturus naturæ. Inſtare ergo fatale & ineluctabile tempus dum præſenſerat, omnia quoq; præparavit die 13. Apr. ad ſalutarem ex hac vita diſceſſum, confeſſus peccata plurimum Rev. Dn. Danieli Kœhlero, quem eccleſiaſten in vet. civitate & XXIV annos inſervientem Chriſto eiusque fidelibus Thorunii agens vitam ſelegerat, ſæpiſſimeq; ut verba Beati Viri repetam, appellarat ſenem pium & integrum vitæ, ab eodemq; S. Cœnam accepit pientiſſime. Poſtea cum inviſiſſet eum plurimum Rever. Ruttichius, isque cum illo de rebus ſacris eſſet locutus, lingva latina, debili quidem voce, ſed fortiori animo, fidem & fiduciam Chriſti qvæ ipſum teneret, cum admiratione præſentium declaravit, neque deſtitit has ſanctas meditationes animo complecti & cogitatione, uſq; dum die xv. huj. menſ. hora v. pomeridiana, quæ ipſa utrum mox adeſſet? ſæpe interrogavit, ætatis XLIX. an. 3. menſ. & 3. D. beate & placide animam reddidit Deo, a quo acceperat excellentem plane: Ubi memorabile eſt, quod dum loqvendi facultatem illi denegarat vis morbi, & percontarentur adſtantes ex eo, gaudeatne cum Chriſto vivere æterno? palma cum palma collata fecit plauſum lætabundus. Sic felix atq; triumphum agens ex moleſtiis vitæ harmoniam fidei & præmii cœleſtis eſſe veram & a Deo ſtabilitam experitur, omniq; confuſioni & perturbationi rerum, temporum, perſonarumq; dixit vale ultimus ſtirpis Aynerianæ nobilis. Ceterum Vobis, Conſangvinei mœſtiſſimi, ad precor condoleſcens gratiam divinam, optans ex animo, velit Deus T. O. M. vos omnes et ſingulos, ſuperſtites Beato Doctori, qvam diutisſime conſervare una cum familiis egregiis ſalvos, incolumes florentesq; rebus omnibus, addereq; annos, quibus arcana voluntas Numinis Veſtrum carere iusſit, forte ut eo citius frueretur felicitate ineffabili et incomprehenſibili. Ruborem enim incutiet olim multis Chriſtianæ religionis nomen præ ſe ferentibus SENECA, cum in Epiſt. LXX. pro modulo iudicii ſui hæc aurea dixit verba: *Clementiſſimus portus eſt aliquando petendus, nunqvam recuſandus. In quem ſi qvis intra primos annos delatus eſt, non magis qveri debet, quam qui cito navigavit· Alium enim venti ſegnes ludunt & detinent & tranqillitatis lentiſſimo tædio laſſant, alium pertinax flatus celerrime perfert.* Dab. Thorunii die ſepulturæ ſolenni conſecrato XVIII. April. Anno MDCCXXVIII.